Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1795
Quelle:
Copyright:

VIII. *fol.* 107. p. 2. *Incipit oratio de sancto brandano, quam quicunque cantauerit ducenties, valet contra centum psalteria et centum oblationes. Et qui cantauerit una vice, valet contra VII. psalteria et VII. oblationes. Et si quis cantauerit super altare, multum valet apud deum et redimet animam suam de inferno.* Mirum, quod haec non pariter oraculo pontificio commendetur. Ceterum, quidquid etiam hic Precum sequitur, sanum est, atque inter eas jam legitur Affectus ille: *Anima Christi sanctifica me* &c. quem non pauci recentiorem dixissent.

DCCXLIV.

U. 701 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 332. f. magnifice exaratus, columna media Textum, marginibus Glossas exhibentibus, fronte picturata Autoris Iconem sistens, coloribusque distinctus inscribitur: *Incipit summa de penitentia a magistro raymundo composita.* Est is *Gregorii* IX. Tribonianus dictus *de Pennaforti* O. P. mortuus a. 1275. et inter Divos relatus. Produxi jam Opus istud *Vol.* I. P. 3. *col.* 2505. et hoc *Vol. Summam de Poenitentia et Matrimonio* IV. Libris constantem vulgo compellant Literatores, sed in Codice hoc sane vetusto post Libros III. *de Poenitentia,* qui finiunt: *Venite benedicti percipite regnum. Amen.* novo titulo, novoque Capitum Elencho: *Incipit summa de matrimonio a magistro Raimundo composita.* Quare *duae* potius distinctae *Summae* habendae sunt, id, quod nec mihi prius, nec in Editione *Rom.* 1603. f. quae mihi adjacet, observatum fuit. Ad calcem Librarius literis picturatis et mire crispatis signavit: *Qui scripsit hunc Librum pergat in Paradisum, cui Deus Electorum palmam tribuat in ibi eorum.* De Glossarum Autore jam dixi *l. supracit.* hic vero moneo, in *Scriptt. Ord. Praed.* T. I. p. 106. ad marginem annum mortis *Raymundi* errore typi depravatum esse in 1238.

DCCXLV.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 355. 4. min. multis quidem vocum compendiis, nitide tamen exaratus, et coloribus distinctus ita inscribitur, et orditur: *Incipit summa de casibus fratris* eraso nomine. *Quoniam ut ait Jeronimus Secunda post naufragium tabula est culpam simpliciter confiteri — — ego remundus inter fratres ordinis predicatorum minimus* &c. Vides, quid profuerit inepto rasori cultellus, qui et ad calcem *Raymundi* nomen studiose delevit non attendens, illud occurrere mox in primis Textus lineis. Novimus *Dominicanis* et *Franciscanis* non admodum saepe convenisse; litera porro prima Codicis D. *Franciscum* quinque stigmatibus insignem exhibet, unde credibile est eum in usum cujusdam Familiae Seraphicae scriptum fuisse, nomen vero Autoris lividae aemulationis impulsu ab uno R. 2223

aliquo